dio modo inter modum intelligibilem, & modum materialem: Conveniunt siquidem cum formis intelligibilibus, in quantum sunt formæ sine materia, cum materialibus vero formis, in quantum nondum sunt a conditionibus materiæ denudatæ. Et ideo potest esse actio, & passio suo modo inter res materiales, & potentias sensitivas, & similiter inter has, & inter intellectum. Unde si Angeli intellectus a rebus materialibus formas aliquas acciperet, oportet habere Angelum potentias sensitivas, & ita habere corpus naturaliter sibi unitum. Unde ejusdem sententiæ esse videtur, Angelos esse animalia, ut quidam Platonici posuerunt, & eos a rebus materialibus formas accipere, quod auctoritati Sanctorum, & rectæ rationi repugnat.

Ad confirm. secundum hanc doctrinam respondet Sanctus Doctor ibidem ad 8. conc. præmissis negando conf. Nam *non est proportio inter lumen intellectus angelici, & res sensibiles, ut per lumen prædictum efficiantur actu intelligibiles, ut ex prædictis patet.*

XLVI. Neque dicas cum Scoto. Objectum, etsi materiale, posse per modum concausæ partialis minus principalis concurrere ad impressionem speciei in intellectu. Ut enim a pluribus concausis producatur effectus, non requiritur, ut in qualibet earum eadem perfectio reperiatur, quæ est in effectu: sed sat est, ut totum aggregatum ejusdem perfectionis sit cum illo. Sic species sola non est ejusdem perfectionis cum intellectione; non enim est vitalis; & similiter lumen gloriæ; quæ tamen ad intellectionem concurrunt, quia conjunctum ejusdem perfectionis est.

Nam respondeo, neg. assumptum. Neque exempla in contrarium quidquam probant. Species enim dat intellectioni perfectionem, nempe speciem, & lumen gloriæ est principium, quo intellectus vitaliter se exerceat circa objectum; species, inquam, per modum determinationis objecti; lumen vero gloriæ per modum virtutis potentiæ, non partialis, sed totalis, ut *in Tract. de Visione* diximus.

XLVII. Quarto objiciunt. Saltem res immateriales speciem sui intellectui Angelico ingerere posse, sic: Non minoris efficaciæ est objectum intelligibile in actu, quam sit sensibile in actu intra propriam lineam: sed sensibile in actu immediate diffundit speciem in sensum: ergo intelligibile in actu (qualia sunt omnia immaterialia) immediate immittit speciem sui in intellectum Angeli.

XLVIII. Respondeo, conc. præmissis, neg. conf. & discrimen est. Nam objectum sensibile hoc potest, quia est objectum potentiæ, quæ ob sui imperfectionem est in potentia, & proinde apta recipere ab objecto formas, & species successive. At intelligibile actu est objectum proportionatum potentiæ, quæ naturaliter petit esse actuata formis, & speciebus omnium intelligibilium; quare non habet virtutem diffundendi suam speciem in prædictam potentiam: nulla enim datur virtus activa, cui non correspondeat sua potentia passiva. Adhuc tamen simpliciter majoris est efficacitæ, quam sensibile in actu; quia, esto non per speciem productam a se, influit in immaterialiorem & perfectiorem sui cognitionem.

XLIX. Quinto objiciunt contra idem. D. Thom. *qu. de anima art.* 18. *ad* 13. *& art.* 20. *ad* 11. docet, quod animæ separatæ recipiunt species a Deo mediantibus Angelis; ergo similiter mediante uno Angelo potest infundi species in alium, & sic non accipere species immediate a Deo.

Rursus: in 2. *dist.* 8. *qu.* 1. *Art.* 5. *ad* 6. dicit, quod *boni Angeli etiam directe in intellectum imprimere possunt, quia secundum Augustinum*, operantur in intelligentias nostras miris quibusdam modis (*lib.* 1. *de Civit. Dei cap.* 16.)

L. Varie huic respondetur a Nostris. Primo D. Thomam 1. *par. qu.* 89. per totam, & maxime *art.* 1. *ad* 3. *& art.* 3. ubi ait: *Anima separata intelligit per species, quas recipit ex influentia divini luminis, sicut & Angeli*, retractasse sententiam. Secundo. Alii, & melius fortasse, dicunt, species animæ separatæ infundi mediantibus Angelis non effective, sed, exemplariter; quatenus ad imitationem earum, quæ sunt in Angelis, effective producuntur, & infunduntur a Deo. Tertio. Dicunt alii, species infundi animæ separatæ a Deo principaliter, mediantibus tamen Angelis, ut causis ministerialibus. Quo explicatur differentia inter Animas separatas, & Angelos: quod hi a Deo nullo mediante, nec ut instrumento; illæ vero a Deo mediantibus Angelis, ut instrumentis, species recipiant. Hæc responsio ex eo roboratur, quod Div. Thomas ibi eodem modo loquitur de speciebus ferventibus cognitioni naturali, ac supernaturali: certum est, Angelos ad species supernaturales infundendas concurrere non posse, nisi per modum instrumenti.

Alii tandem cum Joann. a S. Thoma respondent S. Thomam non loqui de infusione specierum quoad substantiam, sed quoad earum debitam dispositionem, & ordinationem causatam per extrinsecam, & distinctam propositionem objecti clariori, & superiori lumine illustrati; sicut si a Magistro per extrinsecam objectorum propositionem ordinarentur species in mente discipuli jam existentes.

Hæc expositio fundamentum habet in S. Doct. Nam 1. *par. qu.* 89. *art.* 3. cum doceat, animam separatam per species infusas non accipere *perfectam rerum cognitionem, sed quasi in communi, & confusam*, Angelos autem perfectam, & distinctam: datur locus ut animæ separatæ mediantibus Angelis ad cognitionem distinctam speciebus imbuantur, non quidem de novo impressis, sed noviter dispositis, & ordinatis, confortando etiam lumen externa illuminatione, doctrina, & magisterio. Hæc probabilia sunt.

LI. Cæterum adhuc admisso, posse Angelos animam separatam speciebus, & formis imbuere, hoc tamen de Angelis concedendum non est. Anima enim infra naturam Angeli genere, & gradu est; inferiora autem mediis superioribus regi, ac illuminari consentaneum est. Angeli autem nullum gradu superiorem habent, nisi Deum; quare ab ipso solo immediate species rerum possunt recipere, quia, ut ait D. Thom. mox citatus: *Omnia, quæ Deus fecit in propriis naturis, fecit in intelligentia angelica, ut dicit August. lib.* 2. *de Genes. ad lit. cap.* 8.

§. VI.

An species Angelis infusæ possint dici eorum proprietates?

LII. SUppono, fuisse connaturale Angelo, ut ab initio suæ conditionis omnium rerum speciebus ornaretur; adeo ut illas successive acquirere, esset contra illius naturam. Quia tamen forma aliqua potest dici connaturalis subjecto quadrupliciter. Primo, quia fluit ab ejus essentia, ut proprietas, sicut calor est connaturalis igni. Secundo, quia est illi debita. Tertio, quia in instanti ejus productionis illi collata: Quarto, quia subjectum habet potentiam passivam naturalem ad illius receptionem. Prioris, & postremi modi connaturalitas meminit S. Thom. 1. 2. qu. 6. art. 5. ad 2. dicens: *Dicitur aliquid naturale dupliciter. Uno modo quod est a natura, sicut a principio activo, sicut calefactere est naturale igni. Alio modo secundum principium passivum, quia scilicet est innata inclinatio ad recipiendum actionem a principio extrinseco: sicut motus Cæli dicitur naturalis propter aptitudinem naturalem Cælestis corporis ad talem motum.* Tota controversia est, an species angelicæ sint connaturales Angelo, quasi proprietates ab ejus natura ut a principio activo ortæ, eo modo, quo a natura ignis oritur calor. Etenim esse Angelo connaturales, quia ejus naturæ debitas, videtur certum apud Thomistas; cum enim inter creaturas intellectuales sit supremus, sicut Cælum inter corpora, connaturaliter exigit esse in actu primo statim completus ad intelligendum. Esse quoque illi connaturales, quia simul cum natura in eodem instanti receptas (eo modo, quo, si Adam non peccasset, Justitia originalis diceretur connaturalis Posteris, quia cum natura transfunderetur) pariter certum est. Nec minus exploratum esse debet, eas esse Angelo connaturales ob connaturalem aptitudinem, & passivam inclinationem ad eas a Deo recipiendas, sicut Cælum naturaliter inclinatur ad recipiendum motum a substantia motrice. Quod, inquam, inter Nostrates controvertitur, est, an species illæ sint connaturales Angelo per modum proprietatis ab ejus natura, ut principio activo emanantis.

LIII. Dico. Probabiliorem mihi videri sententiam negativam. Probo primo. Quod convenit Angelo ex influxu, & participatione divini luminis, non ei convenit, ut fluens active ab ejus natura, & ex vi actionis creativæ: sed Div. Thom. 1. *par. qu.* 89. *art.* 1. *ad* 3. ait, quod *anima separata non intelligit per species innatas, sed per species ex influentia divini luminis participatas, quarum anima fit particeps, sicut & alia substantia separata.* Et art. 3. in corp. *anima separata intelligit per species, quas recipit ex influentia divini luminis, sicut & Angeli*; ergo &c.

LIV. Probo secundo. Si species omnium rerum naturalium fluerent ab essentia Angeli ut ejus proprietates, Angelus comprehendens suam essentiam per seipsam, in illa, & ex vi illius omnes res naturales cognosceret: nam comprehendens essentiam, ex vi illius cognoscit ejus proprietates clare & directe, ergo si species essent ejus proprietates, ex vi comprehensionis suæ essentiæ, clare, & distincte, ac quidditative cognosceret species omnium rerum repræsentativas; ergo etiam res per illas repræsentatas: & consequenter Angelus per suam essentiam omnia cognosceret, quod superius negavimus, comprehendens enim causam adæquatam comprehendit & effectum: sed Angelus comprehendens suam essentiam comprehenderet causam adæquatam cognitionis omnium rerum, nempe potentiam intellectivam, & formas intelligibiles omnium; ergo &c.

LV. Confirmo hoc. In tantum enim Angelus comprehendens essentiam suam non cognoscit omnia, ad quæ ejus intellectus potest se extendere, *quia ipsa essentia Angeli non comprehendit in se omnia, cum sit essentia determinata ad genus, & speciem. Hoc autem proprium est essentiæ divinæ, quæ infinita est, ut in se simpliciter omnia comprehendat perfecte*: (ut ait Div. Thom. 1. *par. qu.* 55. *art.* 1.) atqui si ab essentia Angeli fluerent, ut proprietates, omnes rerum species, comprehenderet in se perfecte omnia, ad quæ potest intellectus se extendere, nempe potentiam intellectivam, & formas rerum omnium repræsentativas; ergo &c.

LVI. Nec juvat ad hujus rationis vim declinandam dicere, quod species illæ non fluunt ab essentia Angeli, nisi in esse entitativo. Et rursus: esto contineantur in essentia Angeli, non continentur, nisi virtualiter.

LVII. Nam contra primum sic arguo. Species illæ fluerent ab ejus essentia, ut illi repræsentarent objecta, & essent formæ, quibus Angelus posset omnia intelligere; ergo ab ea non fluerent præcise, ut quædam entitates sunt, sed ut repræsentativæ sunt, & ut principium quo cognitionis: sicut enim intellectus est proprietas essentiæ Angeli, ut cognoscitivus; ita & species essent proprietates ejus, ut per eas intellectus angelicus objecta per illas repræsentata cognosceret.

LVIII. Contra secundum quoque. Nam nulla essentia continet suas proprietates, nisi virtualiter; ergo ex vi comprehensionis essentiæ, vel non cognoscuntur ullæ proprietates; vel cognita comprehensive essentia Angeli ab ipso, debet ex vi hujus perfecte cognosci omnes ejus species, si semel sunt proprietates illius. Addo, quod nec essentia divina continet

net creaturas nisi virtualiter, & tamen ea comprehensa, omnes omnino creaturæ cognoscuntur perfecte.

LIX. Ex his infertur, ejusmodi species dici Angelo congenitas, & connaturales, quia sunt cum ejus natura congenitæ, & in ea impressæ juxta exigentiam, & inclinationem naturæ Angeli, eo proportionali modo, quo forma Cæli est ejus materiæ connaturalis, quin sit ejus proprietas.

LX. Infertur etiam, quod esto species illæ debitæ sint Angelo pro instanti suæ creationis; non sequitur tamen, eas fuisse illi infusas eadem actione, qua creata fuit substantia Angeli, sed diversa, & quidem eductiva. Nam tunc solum formæ debitæ pro instanti creationis rei possunt dici eadem actione concreatæ, quando taliter comitantur illam naturam, ut eas determinate petat, & non alias: secus vero quando natura ex suis principiis intrinsecis indifferenter se habet, nec has potius petat, quam alias. Cum ergo natura Angeli, esto modo ornata speciebus rerum hujus Universi, has determinate non petat; quia si Deus aliud Universum condidisset, natura Angeli esset eadem, & tamen aliæ species essent ei connaturales & debitæ; ergo signum est, species, quas modo habet, non eadem actione, qua natura Angeli creata fuit, sed diversa ei datas esse.

LXI. Hæc doctrina aliam suggerit rationem pro nostro asserto. Nam si species essent proprietates emanantes naturaliter a natura Angeli, deberent ei quacumque suppositione, & statu determinate convenire; sicut homini in quacumque suppositione conveniret risibilitas, & in quacumque suppositione ignis calefaceret: sed in suppositione, quod Deus aliud Universum condidisset, aliæ rerum species naturæ Angeli connaturales fuissent; ergo vel natura hujus Angeli tunc diversa specie fuisset, utpote connaturaliter petens diversas specie proprietates; vel species rerum, quæ modo naturæ Angeli sunt connaturales, non sunt censendæ ejus proprietates. Sed hoc satis.

DUBIUM V.

An Angeli per species universales intelligant & eo magis universales, quo in natura sunt superiores?

§. I.

Quædam præmittuntur.

I. SIeut universale dicitur multipliciter, ita species istæ multipliciter cogitari possunt esse universales. Primo in causando, quomodo essentia divina est species universalis, qua, & in qua Deus omnia cognoscit, quia rerum omnium est causa. Secundo in essendo, quomodo natura abstracta a singularibus, si ad ea comparetur, dicitur esse universalis, quia concipitur esse in multis, & de multis prædicari. Tertio in repræsentando, quia multa repræsentant, & hoc dupliciter contingere potest. Vel quia repræsentant sub ratione communi tantum, quæ est repræsentatio solum confusa singularium sub ea contentorum; vel quia ita repræsentant rationem communem, ut etiam clare, & distincte repræsentent inferiora sub ea contenta. Titulus ergo quæstionis intelligendus est hoc ultimo modo.

II. Scotus negat, possibilem esse speciem creatam clare & distincte repræsentativam plurium, quæ sint disparata, & sive genere, sive specie, sive numero distincta; vult enim, Angelum quæcumque intelligere per species proprias, & has ab objectis acceptas, ut *Dub. prac.* vidimus. Schola autem D. Thomæ eodem Angelico Magistro præeunte, sive hac 1. *p. q.* 55. *a.* 3. sive in 2. *dist.* 2. *q.* 2. *a.* 2. sive 2. *Cont. Gentes c.* 98. sive *q.* 8. *de Veris. a.* 10. & alibi, docet, Angelos intelligere per species universales modo explicato, & eo universaliores, quo Angeli natura superiores sunt.

§. II.

Resolutio affirmativa.

III. DIco primo. Angeli intelligunt per species universales clare & distincte plura, sive numero, sive specie, sive etiam genere distincta intellectui angelico repræsentantes. Ita S. D. locis laudatis. Probo primo, speciem universalem creatam clare, & distincte repræsentantem plura esse possibilem, quod negat Scotus; deinde probabo, eam in Angelo de facto dari.

Possibile est, quod virtutes diversæ inferiorum causarum uniantur in una virtute causæ superioris: sed species sunt quædam virtutes, & principia, quæ complent virtutem intellectivam ad cognoscendum; ergo possibile est, quod species diversæ potentiis inferioribus servientes, in potentia superiori uniantur in una specie clare, & distincte repræsentante ea, quæ per diversas repræsentantur in potentia inferiori. Maj. explicatur exemplo sensuum. Nam exteriores sensus per distinctas species propria objecta cognoscunt, quæ tamen omnia per unicam speciem sensui communi perfectius repræsentantur; ideoque species distinctæ sensuum externorum in una specie sensus communis uniri possunt — Rursus, ut ostendit D. Th. 1. p. q. 55. hoc a. 3. ad 3. *In homine est universalis prudentia, quantum ad omnes actus virtutum; & potest accipi, ut propria ratio, & similitudo particularis prudentiæ quæ est in leone ad actus magnanimitatis, & ejus, quæ est in vulpe ad actus cautelæ.* Denique possibilis est una anima, quæ præstet in homine, quod præstat anima vegetativa in plantis, & sensitiva in brutis.

IV. Ulterius, possibilis est juxta Scotum species, quæ sit repræsentativa clare Dei, ut est in se, & adhuc sit creata; ergo possibilis quoque erit species universalis repræsentans ea, quæ plures species inferiores repræsentantur, etsi hæc per infinita numero, aut etiam specie sint. Quia si possibilis est species repræsentans clare Deum in se, ut est infinitus per essentiam, & adhuc esse intrinsece finita, & infinita solum repræsentative, & intrinsece; quæso, cur non poterit esse species repræsentans plura, etiam si infinita numero, secundum essentiam tamen finita, & adhuc manere intra limites finiti? Illa enim species secundum Scotum, etsi repræsentans Deum infinitum, esset tamen intrinsece, & in entitate finita, quia repræsentaret Deum ut cognoscendum modo, & cognitione finita: sed etiam illa species, etsi simul in actu primo repræsentaret plura, & etiam infinita, illa tamen repræsentaret ut cognoscenda non simul, sed successive, & cognitione finita; ergo &c.

V. Tertio. Divina essentia simplicissima cum sit, repræsentat distincte, & expresse omnes res creabiles per modum speciei intelligibilis, & exemplaris; ergo nihil vetat, quod aliqua species creata, prout est participatio divinæ essentiæ, participet hanc eminentiam, quod, una cum sit, repræsentet plures, ac diversas quidditates. Scio Scotum respondere, hanc universalitatem in repræsentando participari non posse, quia secum traheret infinitatem. Sed in responsionibus ad argumenta, fiet satis.

VI. Nunc probo primo, species angelicas de facto esse universales in repræsentando, sic. Species angelicæ non sunt a rebus acceptæ, sed immediate a divina essentia exemplatæ, ac derivatæ: sed quamvis species ab objecto causatæ illam solam quidditatem, & naturam, a qua causatæ sunt repræsentent, quia ex ipso objecto, a quo imprimuntur, determinationem, & limitationem habent, sicut figura in cera a sigillo, a quo imprimitur, determinatur: illæ tamen, quæ immediate exemplatæ, ac derivatæ sunt a divina essentia ut causa exemplari, possunt plures naturas repræsentare, sicut ipsa divina essentia, cujus sunt effluxus, & participationes, plura, immo omnia, repræsentat; ergo &c. Major, præterquam quod probata est *Dubio præcedente*, adhuc auctoritate D. Augustini roboratur. *Libro* quippe 2. *de Genes. ad lit. c.* 8. hæc habet: *Neque enim sicut nos ad percipiendam sapientiam proficiebant Angeli, ut invisibilia Dei per ea quæ facta sunt intellecta conspicerent, qui ex quo creati sunt, ipsa Verbi æternitate, santta & pia contemplatione perfruuntur, atque inde ipsa despicientes secundum id, quod intus vident, vel recte facta approbant, vel peccata improbant*; unde prius dixerat Angelos cognoscere secundum creatam in illis sapientiam, & res prius in cognitione Angelorum, quam in seipsis fuisse creatas.

VII. Explicantur. Species, quas intellectus ex aliis præconceptis efformat, puta species montis aurei, chimeræ &c. plures naturas repræsentant; quia non ex objectis, ut sunt in se, imprimuntur, sed ab intellectu, qui ea, quæ distincta sunt, adunare potest, efformantur. Item figura impressa ceræ, ac chartæ sæpe continet leonem, ursum, canem, hosque repræsentat; quia in sigillo a quo impressæ sunt, adunantur. Et Imago domus expressa in charta ab artifice repræsentat ligna, lapides, & cætera ad constructionem domus necessaria, quia non accipit unitatem ab illis rebus, ut sunt in seipsis, sed ut sunt in mente artificis, ex illis unam ideam domus faciendæ efformantis. Cum ergo pariter species angelicæ non exprimantur, nec mensurentur a rebus, quas repræsentant, ut sunt in seipsis divisæ, sed potius ut sunt in essentia divina, tamquam earum species, & idea, cujus sunt expressiones, & participationes, sicut figura impressa in charta a sigillo, vel ab Artifice: & essentia divina una existens, clare & distincte repræsentare possit, quæ in seipsis divisa sunt; ita proportionaliter de speciebus angelicis dici debet.

VIII. Probo secundo. Perfectissimis creaturis Universi convenire debet perfectissimus modus cognoscendi, dummodo ille sit possibilis creaturæ, nec ei repugnet: sed modus intelligendi per species universales in repræsentando multo perfectior, & nobilior est modo cognoscendi per species particulares, seu repræsentantes unam tantum naturam; & aliunde modus iste cognoscendi nullam involvit repugnantiam, ut probatum est, a solvendo argumenta Scoti magis probabitur; ergo &c.

IX. Dico secundo. Angelus, quo superior est in natura, eo per species universaliores, seu pura repræsentantes intelligit. Prob. primo. Ex hoc aliqua in rebus sunt superiora, quod uni primo, quod est Deus, sunt similiora, & propinquiora: sed in Deo tota plenitudo intellectualis cognitionis continetur in uno, scilicet in essentia divina, per quam Deus omnia cognoscit; ergo ex hoc aliqua in rebus sunt superiora, quod magis de hac plenitudine participant, & plura cognoscunt per unum: sicut ab opposito, ex eo aliqua sunt inferiora, quod cognoscunt per plura, quæ Deus cognoscit per unum, & tanto per plura, quando in intelligendo fuerint inferiora; ergo quo Angelus fuerit superior, eo magis intelliget plura per unam speciem: quo inferior, eo magis cognoscet multa per plures. Sicut in nobis, qui fortioris sunt intellectus, ex paucis multa capere non possunt; qui vero debilioris sunt, veritatem intelligibilem capere non possunt, nisi eis particulatim per singula explicetur. Ita iisdem fere terminis S. Th. 1. *p. q.* 55. *a.* 3. *in corpor.*

X. Nec juvat dicere cum Scoto, hanc majorem propinquitatem cum Deo non arguere, quod superiores Angeli plura cognoscant per unum, inferiores autem per plura; sed quod illi limpidius, isti minus limpide cognoscant. Et hoc comprobat exemplum allatum; etenim homo fortioris ingenii non dicitur, quia multa per unam speciem, sed quia promptius, expeditius, & limpidius intelligat, quam alter debilioris intellectus.

XI. Contra enim est. Nam suprema inter creaturas, qualis est Angelus debet Deo assimilari, & appropinquari quantum possibile est: sed Deus est in summo intellectualitatis, non solum quia limpidissime, & expeditissime intelligit, sed etiam quia omnia per unum intelligit, & hoc suo modo participabile est, ut probavimus; ergo suprema inter creaturas debet Deo assimilari, non solum quia limpidius, sed quia plura per pauciora intelligat, quam inferior. Neque vim exemplaris allati a D. Th. Scotus affecutus est. Non enim stat in hoc, quod homo acutioris ingenii, vel per pauciores species intelligat, vel præcise perfectius, quam alter debilioris acuminis. Sed (quiquid sit an homo acutioris ingenii per pauciores species cognoscat, sive non) in hoc, quod sicut homo acutioris ingenii, nedum limpidius cognoscit, sed etiam ex uno principio plures docuit veritates, quas homo debilioris mentis non percipiet, nisi singulatim ei proponantur, & explicentur; ita Angelus superior, nedum limpidius, sed multa per unam speciem cognoscit.

XII. Contra secundo. Inter modum naturalem cognoscendi superioris, & inferioris Angeli statui debet talis diversitas, quæ fundet diversitatem specificam inter illos; cum enim naturæ intellectuales sint, ex diverso modo cognoscendi, seu ex diversitate formæ intelligibilis eorum essentialis diversitas sumi debet: aliquos enim Angelos, etsi non omnes, essentialiter specie differre admittit Scotus; sed si in ullo alio, quam in modo magis, vel minus clare percipiendi objectum, statuatur differentia luminis, & cognitionis naturalis Angelorum, non salvabitur diversitas specifica in cognoscendo inter illos; sicut nec salvatur inter intellectus duorum hominum, quamvis unus acutius, & perfectius intelligat, quam alter; nec inter lumina, ut visiones duorum Beatorum, quamvis unus alio perfectius, & clarius videat Deum; ergo &c.

XIII. Alia, & præcedenti affinis est ratio, quam affert idem S. Doct. 2. *Cont. Gent. c.* 98. Intellectus enim angelicus medius est inter divinum, & humanum, inferior illo, superior isto; ergo cum medium debeat aliquid participare de utroque extremo, & eo magis, quo magis accedit ad illud, Angelus habebit aliquid de puritate, & actualitate intellectus divini, & aliquid de potentialitate, & compositione intellectus humani; ergo non intelliget omnia per unam speciem, sicut Deus, neque omnia per plures, & particulares species magis, vel minus universales, secundum quod magis, vel minus accedit ad Deum, & magis, vel minus recedit ab homine, seu ab anima humana.

XIV. Tertiam rationem affert S. Thom. *Q.* 8. *de Verit. a.* 10. sic. Quanto aliqua virtus est altior, & actualior, tanto magis est unita, & efficax ad operandum plura; quia actualitas, & forma est principium unionis, potentia autem, & materia est principium multiplicationis; ergo virtus angelica, quanto erit actualior, & altior, tanto per pauciora erit efficax ad cognoscendum plura. Ant. prob. S. Doct. *Ars Architectonica per unam formam artis dirigitur in omnibus, quæ ad artem suam spectant, in quibus tamen inferiores artifices, utpote cementarii, & cæsores lignorum per diversa artefacta diriguntur.* Similiter *aliquis, qui est eloquentioris intellectus ex paucis principiis penes se retentis habet in promptu procedere ad varias conclusiones, ad quas pervenire non possunt qui sunt hebetioris ingenii, nisi per varias inductiones, & per principia particulariter coaptata conclusionibus.* Deinde prosequitur. *Unde cum in Deo sit perfectissima virtus, & purissimus actus, ipse per unum, quod est essentia sua, omnia operatur, & omnia cognoscit efficacissime. Ab ipsa autem effluunt rationes rerum intelligibilium in Angelis ... non quidem ad causandum res, sed ad cognoscendum. Unde quanto in Angelo fuerit plus de actu, & minus de potentia, tanto emanatio hujusmodi rationum minus in ipso multiplicatur, & virtus ejus cognoscitiva erit efficacior; & secundum hoc superiores Angeli cognoscunt res per formas magis universales, quam inferiores.*

XV. Quartam rationem affert in 2. *dist.* 3. *q.* 2. *a.* 2. similem præcedentibus, **hoc** modo: *In omnibus scientiis, & artibus sive speculativis, sive operativis, oportet, quod illa quæ est altior, & ordinativa aliarum, considerat rationes magis universales; eo quod principia sunt parva quantitate, & maxima virtute, & simplicia ad plurima se extendunt:* sed Angeli *superiores per suam scientiam ordinant actus, & officia inferiorum, illuminantes eos, & perficientes, & purgantes;* ergo *oportet, quod scientia Superiorum sit universalior, & species universaliores.* Majorem explicat. Quia enim sub civili scientia est militaris, & sub militari equestris, ideo sub consideratione magis universali, nempe *boni humani absolute* procedit, quam militaris, quæ considerat hoc idem, sed *secundum quod terminatur ad res bellicas*: & idem de aliis. Et maxime apparet in metaphysica, quæ, utpote ordinativa aliarum scientiarum speculativarum, *considerat rationem entis absolute*, aliæ vero secundum *determinationem aliquam*.

XVI. Supposito, quod lumen sit universalius in natura superiori, probat etiam, species universaliores esse debere; quia lumen, seu intellectus quo superior est, eo minus habet de possibilitate: sed quo minus habet de possibilitate, seu de potentia, eo minor est compositio intelligentis, & intellecti; ergo pauciores sunt in eo formæ intelligibiles: quia quanto minus habet de potentia lumen intellectuale, minus dividitur, & multiplicatur in eo; quare scientia Dei, quæ est actualissima, una similitudine, quæ est essentia sua, omnia cognoscit; ergo quanto aliquis per pauciores formas intelligit, tanto ejus scientia est universalior, & tanto magis assimilatur summæ scientiæ divinæ. Sed audiendus est Scotus.

§. III.

Fundamenta Scoti.

XVII. PRimo objicit Fraßen pro suo Magistro. Nulla res creata potest esse ratio cognoscendi plura numero infinita: sed species universalis, si daretur, esset ratio cognoscendi plura numero infinita; ergo &c. Min. prob. Cum enim in unaquaque specie sint possibilia plura individua numero infinita, si detur species universalis omnium hominum distincte repræsentativa, ista vim habebit repræsentandi plura numero infinita. Major quoque prob. Implicat creatura aliqua, quæ sit infinitæ perfectionis in ullo genere: sed species repræsentativa infinitorum deberet habere infinitam perfectionem: nam ubi pluralitas numeralis perfectionem dicit, major pluralitas majorem dicit perfectionem, & infinita infinitam. Sicut si vis portandi duas libras sit perfectior, quam vis portandi unicam, & vis portandi sex perfectior sit, quam vis portandi duas, vis portandi infinitas libras erit infinitæ perfectionis, & roboris in portando.

Confir. Ex eo, quod essentia divina sit repræsentativa omnium intelligibilium, colligimus, eam esse infinitam in repræsentando; ergo si aliqua species possit repræsentare infinita, revera erit infinita in repræsentando.

XVIII. Respondeo ad maj. primo distinguendo eam. Ratio cognoscendi plura numero infinita actu, transeat major; in potentia, neg. maj. Species autem angelica repræsentaret omnia, & infinita individua eo modo, quo sunt ponenda actu, in hoc Universo; hæc enim est ejus sphæra, & propria limitatio. In hoc autem Universo nunquam actu, & simul erunt infinita: Quod vero sint infinita in potentia, aut possint infinita sibi succedere, & illa omnia possit Angelus per eamdem speciem successive intelligere, non arguit infinitatem simpliciter, sed secundum quid; sicut eadem potentia intellectiva potest infinitas intellectiones successive habere, & idem Cælum infinitas circulationes, & illuminationes, si motus ejus in æternum duraret. Et hoc modo distincta min. ad exemplum allatum dico, quod esto vis portandi actu infinitas libras simul esset infinita actu, non tamen vis portandi infinitas libras successive. Quare retorqueo argumentum. Species repræsentans plura actu finita, finita est: sed species angelica repræsentat plura numero, & etiam specie actu finita, repræsentat enim ea sola, quæ ad naturalem ordinem Universi spectant, quæ certe & numero, & specie finita sunt; ergo &c. Verum dato, possibilem esse speciem repræsentantem infinitas naturas, etiam specie diversas.

XIX. Respondeo secundo, dist. maj. Nulla &c. potest esse ratio cognoscendi infinita, prout sunt in potentia Dei, conc. maj. prout sunt in potentia creaturæ, nego maj. Doctrina hæc est D. Thomæ 3. *p. q.* 10. *a.* 2. ubi negat, animam Christi posse cognoscere omnia, quæ sunt in sola potentia divina; hoc enim esset comprehendere omnia, quæ potest Deus facere, & divinam virtutem, ac essentiam: concedit tamen, eam posse cognoscere omnia, quæ sunt in potentia creaturæ. Quare hac ratione *art.* 3. docet posse cognoscere infinita. Postquam enim docuit, dupliciter aliquid posse dici ens, & cognoscibile. Uno modo *simpliciter, quod scilicet est ens actu.* Alio modo *secundum quid, quod scilicet est ens in potentia*, subdit: *Quantum igitur ad primum modum Anima Christi non scit infinita, quia non sunt infinita in actu, etiamsi accipiantur omnia, quicumque sunt in actu secundum quodcumque tempus, eo quod status generationis, & corruptionis non durat in infinitum. Unde est certus numerus, non solum eorum, quæ sunt absque generatione, & corruptione, sed etiam generabilium, & corruptibilium. Quantum vero ad alium modum sciendi Anima Christi in Verbo scit infinita. Scit enim omnia, ut dictum est, quæ sunt in potentia creatura. Unde cum in potentia creaturæ sint infinita, per hunc modum scit infinita, quasi quadam scientia simplicis intelligentiæ, non autem scientia visionis.* Hæc D. Thom. Sicut ergo scientia Animæ Christi, quia exemplara a divina, una existens, dum cognoscit ea, quæ quocumque tempore sunt, scit actu finita; dum vero cognoscit, quæ in potentia sunt creaturæ cognoscit infinita, quin ipsa evadat infinita, sed solum superior, & excedens quamcumque aliam scientiam: ita species angelica quia exemplara a divinis ideis una existens poterit, vel posset omnia, quæ ad Universum pertinent, & omnia quæ in potentia sunt creaturæ repræsentare, quin sit infinita, sed solum superior, & excedens; quia esto infinita essent objecta repræsentata, ea tamen sub aliqua ratione determinata, & limitata repræsentaret.

XX. Quod si dicas. Scientiam Animæ Christi, de qua loquitur D. Thomas, esse supernaturalem, speciem vero angelicam esse naturalem: quamvis autem supernaturaliter fieri possit, ut aliquid creatum sciat, vel repræsentet infinita, non tamen, quod naturaliter id præstet.

XXI. Respondeo primo, hanc instantiam evincere, speciem repræsentantem infinita de facto, nec in Angelo dari, quod non negabo; non vero dari non posse ex quo finita sit, ut intendebat arguens. Si enim repræsentare infinita esset contra rationem finiti, nec supernaturaliter posset ei convenire.

Respondeo secundo, quod esto repræsentare infinita naturaliter convenire non possit speciei, & naturæ inferiori; convenire tamen naturaliter potest speciei, & naturæ superiori, qualis est species, & natura angelica. Hoc enim ipso, quod aliquid superioris ordinis est, licet sit finitum in se, æquivalet infinitis ordinis inferioris, nempe toti generi inferiori; quia omnia superat in perfectione; sicut & Rex æquivalet omnibus subditis, & superat in dignitate, & Cælum infinitis corruptibilibus

bus sibi inferioribus: & eadem ratione unica repræsentatio speciei superioris, & ab ideis divinis exemplatæ excedere, & æquivalere potest pluribus, immo intimis repræsentationibus particularibus, & ab objectis derivatis, & adhuc esse finita; quia omnes illas contineret sub aliqua ratione determinata, & finita.

XXII. Secundo objicit. Per speciem naturæ, puta humanæ, non possunt omnia ejus individua repræsentari, quin in ea contineantur, vel formaliter, vel eminenter: sed in ea non continentur formaliter, quia nulla natura est formaliter omnia sua individua; nec eminenter, quia cum individua naturæ humanæ sint infinita, ea eminenter continere cum omnibus suis characteribus, gradibus, differentiis argueret in illa virtutem perfectionis prorsus infinitæ; ergo &c.

XXIII. Confirm. Species debet esse formalis similitudo objecti repræsentati: sed unica species non potest esse formalis similitudo naturæ specificæ, & omnium individuorum ejus: vel enim est similitudo eorum, ut invicem distincta, & disparata sunt; & sic erit formalis similitudo, & repræsentativa plurium, ut plura sunt, quod est impossibile: vel est formalis similitudo, & repræsentativa eorum, ut in una natura specifica conveniunt; & sic erit repræsentativa, & formalis similitudo eorum solum sub ratione communi, & confusa; ergo &c.

XXIV. Respondeo, dist. maj. per speciem &c. acceptam ab ipsa natura humana non possunt &c. conc. maj. per speciem derivatam a causa superiori, nego maj. & conc. min. nego conseq. Species ergo accepta a natura humana non potest repræsentare individua, nisi ut in ea continentur, cumque in ea non contineantur actu, sed solum in potentia; & in confuso, ideo non potest ea nisi in confuso repræsentare. At species derivata, & exemplata ab idea in mente Dei existente, qualem esse speciem angelicam jam ostendimus, repræsentat naturam humanam cum individuis clare, & distincte, quemadmodum in illa continentur, nimirum, non naturam abstractam, sed naturam actu diffusam, & distributam in individuis; ita ut ejus adæquata repræsentatio, & specificativum sit natura cum individuis, quo pacto in divina idea, cujus est participatio, continentur, & repræsentantur: cum hoc discrimine, quod idea divina ea continet operative, & repræsentative, species vero angelica solum repræsentative. Et hoc indicavit S. August. *lib.* 2. *de Genes. ad litt. cap.* 8. Cum ait, Deus res quas condidit, prius in mente Angelorum creavit, scilicet repræsentative, deinde in seipsis. Et Div. Thom. hac qu. 55. art. 2. in corp. & ad 1. ex eodem S. Augustin. *Sicut* (inquit) *ratio, qua creatura conditur, prius est in Verbo Dei, quam ipsa creatura, qua conditur; sic & ejusdem rationis cognitio prius fit in natura intellectuali, ac deinde est ipsa conditio creaturæ.*

XXV. Ad confirm. dico, quod major est vera de specie propria, & adæquata rei repræsentatæ, qualis est species accepta a re, secus vero de specie excedente, & derivata ab idea superiori. D. Thom. 1. par. qu. 55. art. 3. ad 3. *Dicendum* (inquit) *quod idem non potest esse plurium ratio adæquata: sed si sit excellens, potest idem accipi ut propria ratio, & similitudo diverforum: sicut in homine est universalis prudentia quantum ad omnes actus virtutum: & potest accipi ut propria ratio, & similitudo particularis prudentiæ, quæ est in leone ad actus magnanimitatis, & ejus, quæ est in vulpe, ad actus cautelæ. Et sic de aliis. Similiter essentia divina accipitur propter sui excellentiam, ut propria ratio singulorum, quæ sunt in ea. Unde sibi singula similantur secundum proprias rationes. Et eodem modo dicendum est de ratione universali, quæ est in mente Angeli, quod per eam propter ejus excellentiam multa cognosci possunt propria cognitione.* Idem docet *Qu.* 8. *de Veritat. ar.* 10. *ad* 3.

XXVI. Explicantur hæc aptissimo, ac superius indicato exemplo. Artifex prius concipit ideam operis faciendi, sicut Architectus domus faciendæ in lapidibus, & lignis. Ejus tamen quod mente concepit priusquam in sua materia exterius ponat, consuevit exprimere imaginem repræsentativam in papyro, cera, aut ære, quam typum, seu modelum vocamus; & hæc non desumit suam unitatem ex ipsa re fabricata, ut in se, sed ex unitate, & modo, quo est in mente artificis. Et quia Architectus potest in sua idea secundum diversas habitudines, formare plures, vel pauciores artefacti, & faciendi partes; potest etiam plura, vel pauciora unitim exprimere in typo: & sicut potest in uno conjungere plures partes unius domus, ita plures domos pro una civitate, & plures civitates pro uno regno. Ita Deus prius concipit omnium Ideam in Verbo, deinde in mentibus angelicis faciendorum typos & similitudines plura, vel pauciora repræsentantes expressit, cum hoc tamen discrimine; quod similitudines ab artifice creato, quia in materia impressæ, non distincte, & ut in se sunt, sed quasi compendio repræsentantur: Deus autem, qui depingit intelligibiles intentiones in mente Angeli ex suis ideis, eas imprimit cum perfectissima repræsentatione, & cum ea adunatione, quam habent in suis divinis ideis, vel saltem simili, & exemplata ab eis.

XXVII. Hic D. Thomas in 2. *dist.* 3. *qu.* 2. *art.* 2. *ad* 1. triplex universale distinguit. Unum *in re*, & est natura ipsa in particularibus: aliud a re acceptum per abstractionem, quod est *posterius re*, & hoc modo formæ Angelorum non sunt universales. *Et etiam* (inquit) *quoddam universale ad rem, quod est prius re ipsa, sicut forma domus in mente ædificatoris. Et per hunc modum sunt universales formæ rerum in mente angelico existentes: non ita quod sint operativæ; sed quia sunt operativis similes, sicut aliquis speculative scientiam operativam habet.* Si ergo species angelicæ priores sunt ipsis rebus, suam unitatem non sumunt a rebus, sed ab idea eorum operativa, cujus participatæ repræsentationes sunt. Unde ibid. arr. 3. ait: *formæ autem quæ sunt in mente Angeli, sunt simillimæ rationibus idealibus in mente divina existentibus, sicut deducta immediate exemplariter ab eis.* His bene pensatis, omnibus Scoti rationibus in contrarium sit satis, quæ omnes in hoc sitæ sunt; quod Angelus intelligat per species a rebus acceptas, & rebus adæquatas; quod si intelligeret per species universales, intelligeret particularia confuse, & quod intelligeret plura ut plura: quæ omnia evanescunt si consideremus, species illas repræsentare plura, ut adunantur in superiori, & altiori ratione, in qua distincte, & secundum omnes suas differentias res continentur, nempe in divina idea, cujus illa species est immediata expressio.

§. II.

Corollaria ex dictis.

XXVIII. COllige ex dictis primo, Angelos, quo natura superiores, eos per universaliores species intelligere, & consequenter per pauciores. Hæc est perpetua S. Th. doctrina citatis locis. Qui enim superior natura est, eo magis accedit ad Deum, & elongatur ab homine; ergo eo magis participat de unitate, & eo magis recedit a pluralitate in modo intelligendi. Addo, quod alias non salvaretur distinctio specifica inter Angelos. Nam sublata ab eis capacitate ad species magis, & minus universales, perfectio in intelligendo unius Angeli supra alium, in hoc solo consistere, quod unus perfectiori, & clariori modo intelligeret, quam alter, quod ad diversitatem specificam in cognoscendo non sufficit; cum species Christi animæ ostendant objectum cum majori claritate, quam species animæ separatæ, & tamen ista specie ab illa non distinguitur.

XXIX. Nec obest, quod D. Th. 1. *p. q.* 108. *a.* 1. in solos tres gradus distinguat majorem, vel minorem universalitatem cognoscendi in Angelis; primum convenientem primæ Hierarchiæ, quæ rationes rerum percipit in causa summe universali, quæ est Deus: secundum convenientem mediæ Hierarchiæ, quæ rationes rerum percipit, ut dependent a causis universalibus creatis, quæ aliquomodo multiplicantur: & tertium convenientem infimæ Hierarchiæ, quæ easdem rationes considerat ut applicatas singulis rebus, ut a propriis causis dependent. Nam ibi S. D. non considerat modum cognoscendi Angelorum intrinsecum, & illi convenientem in se, & ex sua natura, sed modum competentem illis ab extrinseco, & secundum ordinem politicum, quo ab uno principe gubernantur, & diversa subeunt ministeria. Altius autem est ministerium quo funguntur Angeli primæ Hierarchiæ eo, quo funguntur Angeli secundæ, & istud eo, quo funguntur Angeli infimæ.

XXX. Collige secundo, hanc doctrinam extendendam esse etiam ad species supernaturales, quia cum supernaturalia, & gratuita, esto non debeantur naturæ, aptæ tamen ad naturam, & conditionem ejus ex Dei liberalitate conferantur: hinc est quod superioribus Angelis species universaliores conferat ad cognoscendi mysteria gratiæ, quam inferioribus. Hæ autem species, esto inter se specifice distinguantur, sicut & specifice distinguuntur naturæ Angelorum, quibus accommodantur; non inferunt tamen scientiam infusam, & cognitionem supernaturalem in Angelis specie distingui: quia unitas scientiæ infusæ sumitur ex unitate gratiæ, & visionis beatæ (cujus est participatio) & objecti adæquati, quod idem est respectu omnium, quamvis pluribus, vel pauceioribus speciebus cognoscatur.

XXXI. Collige tertio, ex doctrina hucusque data probabiliter sequi, primum, & supremum omnium Angelorum, unicam habere speciem universalissimam, per quam omnia cognoscit, quæ ad ipsius statum pertinent. Cum enim omnes Angeli seipsos, & Deum per suam substantiam cognoscant, ut diximus, ad hoc non egent aliqua specie, quæ ab ipsorum substantia distinguatur; sed solum ea indigent ad cognoscenda alia a se, ac sibi inferiora. Si ergo supremus Angelus seipsum, ac Deum per suam substantiam cognoscit, & unicam habet speciem, qua cognoscit omnes Universi creaturas tam corporales, quam spirituales, nempe omnes Angelos. Secundus Angelus duas habet species, unam, qua cognoscit Angelum supremum, & aliam, qua cognoscit omnes alios Angelos, cæterisque creaturis Universi. Tertius, Angelus habet tres species, duas quibus cognoscit duos Angelos sibi superiores, & aliam qua cognoscit cætera omnia, & sic de omnibus aliis dicendum est. Quod si Deus produceret Angelum superiorem illo, qui modo est supremus, tunc cuilibet Angelo superadderetur una species. Sicut enim ille, qui modo est primus fieret secundus; ita haberet duas species, unam qua cognosceret Angelum de novo supremum, & alteram, qua cognosceret cætera omnia: & quia secundus fieret tertius, haberet tres species, duas repræsentativas duorum Angelorum superiorum, & tertiam repræsentativam omnium aliarum rerum; & idem de aliis proportione servata.

XXXII. Nec refert, quod cum multitudo Angelorum sit propemodum infinita, Angelus infimus haberet multitudinem speciarum quasi infinitam. Etenim, quamvis paucitas specierum in Angelis dicat majorem perfectionem, pluralitas tamen earumdem, esto dicat minorem perfectionem, imperfectionem tamen, maxime privativam non dicit. Immo in hominibus majorem perfectionem dicit: quanto enim pluribus speciebus acquisitis ditatur homo, tanto perfectior est, quia tanto majorem de rebus notitiam habet.

XXXIII. Hæc inquam probabiliter dicta sint. In istis enim aliquid sic, vel sic determinare, omnino incertum est; cum nobis manifestata non sit mensura, qua singulos Angelos Deus

mensus est. Fortassis enim etiam inter ipsas res corporeas aliquæ sunt tantæ perfectionis, ut non possint ita facile una cum aliis unica specie penetrari, sed species distinctas requirant.

XXXIV. Quæres, an omnia ea, quæ unica specie repræsentantur, unico etiam actu adæquato possint ab Angelo cognosci? Respondeo affirmative. Dummodo tamen in ipsis rebus adsint conditiones debitæ, & requisitæ, ut res possit attingi ab Angelo, scilicet quod non sint intra causas, & sint pars physica, & naturalis Universi, & non solum moralis, ut dicetur. Potest tamen Angelus pro sua libertate uti illa specie solum inadæquate, nimirum ad intelligendum aliquid per illam repræsentatum, & non omnia. Sed de hoc infra.

Dubium VI.

Varia circa modum cognitionis Angelorum.

§. I.

An semper sint in actu secundo cognoscendi?

I. Deo primo, Angelus semper, ac necessario est in actu secundo cognoscendi seipsum. Ita Div. Thom. *Qu. 8. de Veritat. art. 6. ad 7.* dicens: *Intellectus Angeli non est in potentia respectu essentiæ ejus, sed respectu ejus semper est in actu.* Et art. 14. ad 6. *Mens Angeli semper se actualiter intelligit; quod ideo contingit, quia mens Angeli intelligit se per essentiam suam, quæ semper informatur.* Quibus, & rationem præbet, & præoccupat instantiam. Rationem quidem. Si enim Angelus intelligit se per suam essentiam, ac semper habet eam sibi intelligibiliter præsentem, manifestum est, eum in sui cognitione ita semper occupari, ut ab ea distrahi non possit: sicut si species alicujus objecti naturaliter afficeret pupillam oculi, non posset ab ejus visione desistere, quantumcumque aliquod aliud objectum excellens præsentaretur.

Instantiam quoque præoccupat. Non enim sic necessitatur Angelus ad actualem sui cognitionem necessitate objecti, quomodo necessitatur Beatus ad cognitionem & amorem Dei, in quo est omne verum, & omne bonum; sed necessitatem subjecti, & principii, in quantum cognitio sui est proprietas naturaliter dimanans ab ejus essentia, ad eum modum, quo motus cordis fluit, quasi proprietas a natura animalis.

II. Ex hoc nascitur altera ratio, quam idem S. D. tradit 2. 2. *Contra Gen. cap. 97.* sic; *Omnis substantia vivens habet aliquam operationem vitæ in actu ex sua natura, quæ inest ei semper, licet alia quandoque insit ei in potentia, sicut animalia semper nutriuntur, licet non semper sentiant:* sed *substantiæ separatæ sunt substantiæ viventes.... nec habent aliam operationem vitæ, nisi intelligere; oportet igitur, quod ex sua natura sint intelligentes actu semper*; at quid aliud, nisi suam substantiam, qua semper etiam intelligibiliter informantur?

III. Dico secundo; Angeli semper, ac necessario cognoscunt Deum, ut suæ naturæ Auctorem. Prob. Angelus ex dictis videt Deum per suam substantiam, ut speculum, in quo imago Dei repræsentatur: sed qui necessario videt speculum, necessario videt imaginem repræsentatam in speculo; ergo &c. Tum etiam, Angelus se videns, se comprehendit: sed non potest se comprehendere, quin cognoscat habitudinem, & dependentiam, quam habet a Deo, & proinde, quin Deus aliquomodo abstractive ab eo cognoscatur; ergo &c.

IV. Dico tertio. Angeli continuo intelligunt ea, quibus sunt destinati. Sic Angeli motores Cælorum eis continuo suæ mentis attentione applicantur, cum suæ mentis conceptione eos moveant. Sic Angeli Custodes suos clientes, & quæcumque eorum curæ commissa sunt, nunquam cogitatione dimittunt, nec quantumvis impios toraliter deserunt. Sic Dæmones semper suos cruciatus, & destinationem ad ignem corporeum apprehendunt; torquentur enim continua cogitatione suæ pœnæ ac supplicii. E contra vero Angeli beati semper sunt in actu visionis Dei, & eorum, quæ videnti in Verbo; quia in hoc eorum beatitudo sita est, a qua cessare non possunt. Unde Christus Matth. 18. ver. 10. *Angeli* (inquit) *eorum in Cælis semper vident faciem Patris mei, qui in Cælis est.* Ita quoque S. Thom. 1. *par. qu.* 58. *art.* 1.

V. Dico quarto. Angeli respectu aliorum non semper sunt in actu cognitionis, sed quandoque in actu, quandoque in potentia. Ita S. Thom. 1. *par. qu.* 58. *art.* 1. ubi observat, quod *intellectus dupliciter est in potentia: uno modo, sicut ante addiscere, vel invenire scilicet antequam habeat habitum scientiæ. Alio modo dicitur esse in potentia, sicut cum jam habet habitum scientiæ, sed non considerat.* Et resolvit. *Primo igitur modo intellectus Angeli nunquam est in potentia respectu eorum, ad quæ ejus cognitio naturalis se extendere potest. Sicut enim corpora superiora, scilicet Cælestia, non habent potentiam ad esse; quæ non sint completa per actum: ita Cælestes intellectus, scilicet Angeli, non habent aliquam intelligibilem potentiam; quæ non sint completa per species intelligibiles connaturales eis. Sed quantum ad ea, quæ eis divinitus revelantur, nihil prohibet, intellectum eorum esse in potentia, quin sic etiam corpora Cælestia sunt in potentia quandoque, ut illuminentur a Sole. Secundo vero modo intellectus Angeli potest esse in potentia ad ea, quæ cognoscit naturali cognitione; non enim omnia, quæ naturali cognitione cognoscit, semper actu considerat.* Idem docet *Qu. 8. de Veritat. art. 6. ad 7.* ubi postquam dixit, quod *intellectus Angeli non est in potentia respectu essentiæ ejus, sed semper est in actu* (ut ostendimus supra) subdit: *Respectu autem aliorum intelligibilium potest esse in potentia*: non essentiali, sicut antequam addiscat, sed accidentali, *sicut habens habitum, dum non considerat.*

§. II.

An Angeli simul multa cognoscant?

IV. Deo. Nec Angelus, nec homo intelligit, aut potest intelligere plura, ut plura; bene tamen per modum unius. Ita Div. Thom. *qu. 58. citata art. 2. Qu. 8. de Verit. art.* 14. & alibi. Ut hoc assertum intelligatur, noto, quod intelligere plura, ut plura, seu per modum plurium, est ea intelligere per diversas species ejusdem generis, & ordinis nullum habentes ordinem invicem, neque ad aliquid tertium; idest prout unaquæque refert similitudinem sui objecti præcise, puta bovis, aut leonis absque ullo ordine unius ad alterum, vel utriusque ad aliquod tertium. Quod si species repræsentent sua objecta, ut sunt extrema alicujus comparationis, vel differentiæ, vel propositionis; sive ut aliter ordinantur, vel ambo ad tertium, vel unum ad alterum; non sunt plura, ut plura, sed plura per modum unius totalis repræsentati, & cogniti. Sic dum dicitur *bos non est leo*, Bos, & leo repræsentantur cum ordine invicem, & ad unam propositionem, quam constituunt. Et hinc Div. Thom. 1. *par. qu.* 85. *art.* 4. *ad* 3. dicit, *quod partes possunt intelligi dupliciter. Uno modo sub quadam confusione, prout sunt in toto, & sic cognoscuntur per unam formam totius, & sic simul cognoscuntur. Alio modo cognitione distincta, secundum quod qualibet cognoscitur per suam speciem, & sic non simul intelliguntur.* Et ad 4. ait, *quod quando intellectus intelligit differentiam, vel comparationem unius ad alterum, cognoscit utrumque differentium, vel comparatorum, sub ratione ipsius comparationis, vel differentiæ.* His notatis,

Prob. prima pars. Si Angelus plura per modum plurium simul intelligeret, vel unico actu ea cognosceret, vel pluribus: sed neutro modo &c. ergo &c. Min. prob. Non unico actu; quia, ut docet Div. Thom. hac qu. 58. art. 2. *sicut ad unitatem motus requiritur unitas termini: ita ad unitatem operationis requiritur unitas objecti*: sed plura per modum plurium non habent rationem unius objecti, sed plurium; ergo &c. Nec pluribus actibus: nam actus cognitionis est ultima actualitas, & ultimus terminus potentiæ fœcundatæ per speciem; sed idem non potest simul terminari pluribus terminis, ut pluribus, sicut nec eadem pars lineæ ad diversa puncta, nec idem corpus pluribus, ac diversis figuris figurari; ergo &c. Hac ratione utitur S. Thom. *Qu. 8. de Verit. art.* 11. ubi postquam dixit, in eodem intellectu posse esse diversas species *in potentia, seu in actu incompleto, & hoc est species esse in habitu, qui est medius inter potentiam, & operationem*; statim subjungit: *Sed in actu perfecto plurium specierum intellectus simul esse non potest. Ad hoc autem quod actu intelligat, oportet, quod sit in actu perfecto illius speciei, secundum quam intelligit. Et ideo impossibile est, quod simul, & semel secundum diversas formas actu intelligat.*

VII. Confirmatur. Si Angelus plura simul cognosceret, vel ea cognosceret, ut repræsentata per unicam speciem; vel ut repræsentata per diversas species. Si per unam speciem; jam non cognoscit plura, ut plura, sed ut adunata in una ratione: ea vero cognoscere simul per diversas species foret esse in actu completo, & ultimo per diversas formas, quod impossibile est; ergo Angelus nequit plura, ut plura simul intelligere. Unde Div. Thom. Qu. 8. de Verit. art. 14. citato, concludit: *Omnia igitur diversa, quæ diversis formis intelligit, non potest simul intelligere; illa vero, quæ intelligit per eamdem formam, simul intelligit.* Ex his

VIII. Probatur secunda pars. Cum enim plura cognoscuntur per eamdem formam, esto plura sint materialiter, formaliter tamen, & in ratione objecti unum sunt, quia omnium eadem forma est. Unde citato loco ad 6. ait S. Doct. *Si enim aliqua duo ita se habeant, ut unum sit ratio intelligendi aliud, unum eorum erit quasi formale, & aliud, quasi materiale; & sic illa duo sunt unum intelligibile, cum ex forma, & materia unum constituantur. Unde intellectus, quando intelligit aliquid per alterum, intelligit unum tantum intelligibile, sicut pater in visu; lumen enim est, quo videtur color, unde se habet ad colorem quasi formale, & sic color, & lumen sunt unum tantum visibile, & simul a visu videntur.*

IX. Ex his infert S. Doct. ibi, quod cum essentia Angeli sit *ei ratio cognoscendi omne, quod cognoscit; quamvis non perfecte, propter quod formis superadditis indiget.... cum intelligit se, & illa, non intelligit simul multa, nisi ut unum.*

X. Infert secundo, *ibi in corp.* & hac *qu.* 58. *art.* 2. quod *quæcumque per unam speciem intelligibilem cognosci possunt, cognoscuntur ut unum intelligibile, & ideo simul intelliguntur.* Unde omnia, quæ Angelus intelligit per unam Dei essentiam, simul ut unum intelligibile cognoscit; ea vero, quæ intelligit per formas innatas, quæ sunt multæ, non simul intelligit, si diversis formis intelligat. Quia vero, ut *Dub. præced.* statutum est, Angelus multa intelligit per eamdem formam, ad minus omnia singularia ejusdem speciei; & superior, multo plura una specie intelligit, quam inferior: omnia hæc, quæ una specie cognoscuntur, ad cognitionem Angeli cumparantur, ut unum intelligibile. Unumquodque enim fit intelligibile in actu per formam intelligibilem; unde quæ uniuntur in eadem forma intelligibili, in esse intelligibili unum sunt.

XI. Hinc dum sensus sive externus, sive internus uno actu percipit plura objecta, ut dum sensus visus uno intuitu videt hominem, equum, arborem, & in eadem re plures colores; dum auditus simul percipit diversos sonos, ut sonum vocis, & cytharæ, bombardæ, & campanæ; cum sensus internus omnia objecta sensuum externorum uno actu conjungit; tales sensus non percipiunt plura ut plura; quia hæc omnia cum sen-

sensum moveant per unam speciem, & per eam cognoscantur, se habent per modum unius sensibilis adæquati. Propterea Div. Thom. Quodlibet. 7. art. 2. ad 1. simili argumento respondens: *similiter* (inquit) *dicendum est de potentia sensitiva, idest, quod non potest plura simul sentire, sed ex consequenti, in quantum plura accipiuntur ut unum; sicut plura sensibilia uniuntur in una differentia, & plura sensibilia, quæ sunt partes uniuntur in uno toto.* Quamvis differentiam inter sensum, & intellectum ibi assignet S. Doct. dicens: *sensus communis, quamvis sit una potentia secundum essentiam, tamen aliquomodo multiplicatur secundum esse, in quantum conjungitur diversis sensibus propriis, sicut unum centrum conjungitur pluribus lineis, unde immutationes omnium sensibilium simul terminantur ad sensum communem; sicut motus, qui esset per omnes lineas, posset simul terminari ad centrum: sed intellectus non multiplicatur modo prædicto in plures potentias, & ideo non est simile.*

XII. Tandem, ne quis putet, intellectum Angeli dum plura per modum unius cognoscit, ea cognoscere non distincte, sed solum confuse; & utatur exemplo D. Thom. superius allato de partibus continui, quæ dum cognoscuntur, ut sunt unum in toto, solum confuse cognoscuntur: observandam censeo differentiam inter species intellectus nostri, & angelici. Nam species nostræ limitatæ sunt, quia, a rebus acceptæ; & ideo species totius repræsentantes partes, ut sunt unum in toto, eas non ita clare repræsentant, sed confuse; at species angelicæ, quia a divinis ideis, in queis omnia distincte continentur, sunt exemplatæ, clare & distincte omnia repræsentant, totum & partes, speciem & individua, genus & species; & ideo pariunt omnium, quæ repræsentant, distinctam, & propriam cognitionem ex parte rei cognitæ. Quibus ea, quæ objici possunt, præoccupantur.

Dubium III.

An Angeli intelligant discurrendo?

XIII. Affirmant Scotistæ cum Scoto; negant vero cum suo Angelico Magistro Thomistæ. Suarez vero dicit, Angelum circa naturalia, quæ potest evidenter cognoscere, non uti discursu, bene tamen circa supernaturalia, & circa ea etiam naturalia, quæ non potest evidenter cognoscere, qualia sunt futura contingentia, & secreta cordium.

XIV. Pro intelligentia adverto cum D. Thoma hac 1. *par. qu.* 14. *art.* 7. in cognitione duplicem posse contingere discursum; unum secundum successionem tantum; alterum etiam secundum causalitatem. Prior dicit tantum successionem actuum absque illatione, ut quando intelligimus hoc, deinde hoc: seu, ut ait D. Thomas, *cum postquam intelligimus aliquid in actu, convertimus nos ad intelligendum aliud.* Posterior non solum successionem, sed etiam causalitatem inter actus importat, ita ut prior causet, & inferat posteriorem: *sicut cum per principia cognita pervenimus in cognitionem conclusionum.* Priorem discursum de facto reperiri in Angelis exploratum est. Cum enim non unico actu, sicut Deus, intelligant omnia, consequens est, ut ad rerum cognitionem successione actuum indigeant. De posteriori ergo, qui proprie nomine *discursus* venit, procedet quæstio.

XV. Ad verum autem & proprium discursum duæ necessario requiruntur conditiones: una, distinctio actuum, & quidem realis, si discursus sit formalis. Altera, quod sit illatio, & vera causalitas inter actus, ut prior realiter inferat, & causet posteriorem; & ut unum prius cognitum (prioritate sive durationis, sive naturæ) pariat, & inferat cognitionem posterioris. Quare ad verum & formalem discursum non sufficit, ut unum ex parte objecti sit ratio cognoscendi aliud, essentia enim divina, tam Deo, quam Beatis est ratio cognoscendi omnia; & tamen in Deo nullus est discursus, nec Beati in visione beata discurrunt. Requirit igitur discursus duos actus ex parte subjecti, quorum uno cognoscatur causa, altero vero ex priori illato, quo ex causa cognita procedatur ad cognitionem effectus. Propterea valde differunt hæc tria, nempe *videre aliquid in alio, videre post alium, & videre ex alio.* Deus enim omnia videt in seipso, non tamen post aliud visum, aut ex alio viso. Angeli vident unum post aliud, non tamen unum ex alio, ut dicemus. Homines vero vident unum post aliud, & insuper vident unum ex alio. His ergo præmissis.

XVI. Dico. In Angelis nec datur, nec dari potest discursus formalis. Ita Div. Thom hac *qu.* 58. *art.* 4. cujus ratione probo sic. Angeli illum gradum tenent in substantiis spiritualibus, quem corpora Cælestia in substantiis corporeis, & propterea *Cælestes mentes* dicuntur a Div. Dionysio (*de divin. Nomin. cap.* 7. *& cap.* 12. *Caleft. Hierach.*) Sed ubi corpora terrena per mutationem, & motum adipiscuntur suam perfectionem, contra tamen Cælestia statim ex ipsa sua natura suam ultimam perfectionem habeant; ergo sibi inferiores intellectus, scilicet hominum, per quemdam motum, & discursum intellectualis operationis perfectionem in cognitione veritatis adipiscuntur, dum ex uno cognito ad aliud cognoscendum procedunt; superiores tamen intellectus, quales sunt angelici statim in illis, quæ primo naturaliter cognoscunt, inspiciunt omnia quæcumque in eis cognosci possunt. & ideo *intellectuales* dicuntur, anima vero humana *rationalis*; quia ista ratiocinatione, & discursu ex uno ad aliud procedit; illi vero statim naturaliter apprehendunt: quare habitus primorum principiorum *intellectus* nuncupatur. Quod docet etiam qu. 8. de Veritat. art. 15. sic dicens: *Sicut nos sine discursu principia cognoscimus simplici intuitu, ita & Angeli omnia quæ cognoscunt: unde & intellectuales dicuntur, & habitus principiorum in nobis dicitur intellectus.*

XVII. Dices primo. Ex hoc sequi, quod Angelus necessario non debeat uti discursu, sicut nos: non tamen, quod eo uti non possit ex sua libertate, & maxime si velit uti sua specie non adæquate, sed solum inadæquate, prout scilicet repræsentat principium, & non conclusionem. Ita Molina.

XVIII. Sed contra. Nequit Angelus pro sua libertate immutare modum naturalem suæ cognitionis, hic enim non subditur suæ voluntati: sed cognoscere statim in principio conclusionem, est modus connaturalis Angelo ratione suæ naturalis perfectionis, qua excedit modum cognoscendi hominis, ergo non potest &c.

Confirmatur. Nequit Angelus sua libertate usurpare id, quod proprium est hominis: sed ratiocinari, & discurrere est proprietas hominis, sicut esse rationale, & discursivum est hominis essentia; ergo &c.

XIX. Nec obest, quod additur. Nam esto Angelus possit uti sua specie non secundum adæquatam repræsentationem, sed solum inadæquatam, intuendo scilicet solum principium, & non conclusionem; dum tamen alio actu cognosceret conclusionem, non discurreret vero discursu secundum causalitatem: quia ille alius actus, quo cognosceret conclusionem, esset disparatus, & non ortus ex actu, quo cognovit principium, sed esset actus cognoscens conclusionem non in seipsa, sed in principio: unde cognosceret unum post aliud, non unum ex alio, quod ad rationem discursus veri secundum causalitatem requiritur. Unde Div. Thom. 1. 2. qu. 89. art. 4. *Oportet* (inquit) *quod quandocumque* (Angelus) *considerat conclusiones considerat eas prout sunt in principiis.*

XX. Dices secundo cum Suarez, rationem D. Thomæ concludere ad summum, quod Angelus non possit discurrere circa naturalia, non autem, quod non possit discurrere circa supernaturalia; circa quæ non habet lumen perfectum, sicut circa naturalia, sed solam potentiam obedientialem.

XXI. Sed contra. Nam gratia, & supernaturalia dona non destruunt, sed infunduntur secundum modum connaturalem, nec deprimunt modum operandi naturæ superioris ad modum operandi naturæ inferioris, sed potius illum elevant ac perficiunt; ergo cum modus connaturalis Angeli, ut elevatur supra hominem, sit cognoscere absque discursu, non minus, & cognoscere per species universales; sicut hac ratione superius diximus, Angelo etiam circa supernaturalia infundi species universales; ita etiam dicimus modo circa eadem illi infundi lumen, quo possit etiam circa supernaturalia absque discursu producere: & sicut lumine naturæ cognoscit unico & indivisibili actu Petrum esse hominem, & esse risibilem; ita unico intuitu lumine supernaturali in hoc principio *Christus est homo*, videt hanc conclusionem, quæ in eo necessario continetur: *Christus est risibilis.*

XXII. Addo, quod lumen supernaturale de se non est discursivum, sed solum ex conditione subjecti, quando scilicet subjectum de sua natura est discursivum. Quare D. Th. 2. 2. *qu.* 9. *art.* 1. *ad* 1. docet quod scientia quæ inter dona recensetur, non est de se discursiva, sicut nec scientia divina, concludens: *Et ideo divina scientia non est discursiva, vel ratiocinativa, sed absoluta, & simplex, cui similis est scientia, quæ ponit donum Spiritus Sancti, cum sit quædam participata similitudo ipsius.* Cum ergo Angelus; qui est subjectum luminis supernaturalius, non sit ex natura sua discursivus, non utitur lumine discursivo modo, sed absoluto, & simplici ut in se est.

XXIII. Argues primo. In cognitione, qua Angelus ex cognitione sui cognoscit Deum, intervenit discursus, nempe duplex actus; unus, quo seipsum cognoscit intuitive; alter, quo ex tali actu procedit ad cognoscendum Deum abstractive: eadem enim cognitio nequit esse abstractiva, & intuitiva.

Confirm. Cum Dæmones visis Christi miraculis conjiciebant, ipsum esse Deum, & Filium Dei; vel dum ex aliquibus signis, aut induciis venantur, aut explorant secreta cordium, aut futura contingentia, ibi sunt duo actus; unus certus, & evidens, scilicet visio miraculorum Christi, aut signi exterioris; alter incertus, & obscurus ex primo causatus, nempe suspicio de divinitate, aut de tali cognitione mente concepta, vel futuritione tali: unus enim, & idem actus nequit esse clarus, & obscurus, certus, & incertus; ergo ibi intervenit discursus, quo ex illis visis discurrunt ad ea, quæ ex illis possunt inferri.

XXIV. Respondeo, negando assumptum. Angelus enim videt, seu cognoscit Deum, non ex seipso: sed in seipso, ut in speculo repræsentante ipsum, quemadmodum supra dictum est. Sicut ergo oculus corporalis eodem actu, quo videt speculum, absque discursu videt repræsentatum in speculo; ita oculus intellectualis Angeli eodem actu quo seipsum videt, cognoscit etiam Deum in se abstractive repræsentatum. Neque est novum, quod una eademque cognitio respectu diversorum intuitiva sit, & abstractiva. Constat enim, visionem beatam, cum unica numero sit in quolibet Beato esse intuitivam Dei, & creaturarum in eo existentium, & abstractivam creaturarum possibilium. Differentiæ enim intuitivi, & abstractivi sunt accidentales, & extraneæ respectu cognitionis.

XXV. Ad confirm. nego pariter quod assumitur. Non enim Dæmones ex visis miraculis, aut aliis signis procedunt ad cognoscenda, quæ, vel suspicione, vel conjectura ex illis possunt inferri, sed in iis ipsis visis cognoscunt connexionem probabilem, & conjecturalem cum aliis, quæ non vident. Neque repugnat eamdem cognitionem respectu unius esse claram, & certam, respectu vero alterius esse obscuram, & incertam: hoc enim in nobis quoque sæpe contingit, qui, dum aliquod principium naturale evidenter cognoscimus, simul in

eo quasdam conclusiones in confuso tantum, & opinative detegimus: *Quid autem mirum* (ait S. August. lib. de divin. Dæmon. cap. 5.) *si quemadmodum ille* (Medicus) *in corporis humani, vel perturbata, vel modificata temperie, seu bonas, seu malas futuras praevidet valetudines; sic Dæmon in aeris affectione, atque ordinatione sibi nota, nobis ignota, futuras praevidet tempestates? Aliquando & hominum dispositiones non solum voce prolatas, verum etiam cognitione conceptas, cum signa quadam ex animo exprimuntur in corpore tota facilitate perdiscunt; atque hic etiam multa futura pronuntiant, aliis videlicet mira, qui ista disposita non noverunt.* Hæc autem a Dæmone dignosci absque discursu ostendit S. Thomas *Qu. 8. de Verit. art. 15. ad 4.* dicens: *Cordis abscondita in motibus corporis intuentur Angeli, sicut causa videntur in similitudinibus suorum effectuum absque omni discursu. Nec propter hoc, quod illos motus de novo percipiunt aliqua collatione indigent: statim enim ut res sensibiles fiunt, similes sunt Angelorum formis, & sic ab Angelis cognoscuntur, & sic sine discursu sensibilia de novo facta cognoscunt.* Idem docet ibi *ad 6. & 7.* ubi ait: *quod exprimentalis cognitio in Dæmonibus non fit per collationem, sed secundum quod vident effectus in causis, vel causas in effectibus.* Idem docet 1. *par. qu. 57. art. 2. ad 3.*

XXVI. Argues secundo. In Angelo distincta est volitio, qua vult finem ab ea, qua eligit, & vult media, & ista causatur ex illa; ergo pariter in eo distincta erit cognitio, qua cognoscit principium ab ea, qua cognoscit conclusionem, & ista causabitur ex illa.

Respondet Div. Thom. 1. *par. qu. 60. art. 2.* discrimen esse inter intellectum & voluntatem, quod *cognitio intellectus fit secundum quod res cognitæ sunt in cognoscente. Est autem ex imperfectione intellectualis natura in homine, quod non statim ejus intellectus naturaliter habet omnia intelligibilia, sed quadam, a quibus in alia quodammodo movetur. Sed actus appetitivæ virtutis est e converso, secundum ordinem appetentis ad res. Quarum quædam sunt secundum se bona, & ideo secundum se appetibilia. Quædam vero habent rationem bonitatis ex ordine ad aliud, & sunt appetibilia propter aliud. Unde non est ex imperfectione appetentis, quod aliquid appetat naturaliter, ut finem, & aliquid per electionem, ut ordinatur in finem. Quia igitur natura intellectualis in Angelis perfecta est, inventur in eis sola cognitio naturalis, non autem ratiocinativa, sed inventur in eis dilectio & naturalis, & electiva.*

XXVII. Argues tertio. *Eubulia*, seu virtus bene consiliativa in Angelis ponitur: Sed hæc dicit inquisitionem, & discursum. Insuper, in eis ponitur admiratio circa supernaturalia. Nomine enim Angelorum dicitur Isaiæ 63. ver. 1. *Quis est iste qui venit de Edom?* Et Cant. 3. 6. *Qua est ista, quæ ascendit per desertum sicut virgula fumi?* admiratio autem accidit, cum ex cognitione effectus ducimur in cognitionem causæ ignotæ, quod discursum involvit. Tertio. In Angelis datur scientia; hæc autem proprie sumpta, cum ex cognitione principiorum causetur, discursum petit. Quarto. Quidquid potest virtus inferior, potest virtus superior: sed intellectus humanus potest syllogizare, & in effectibus causas cognoscere, secundum quæ discursus attenditur; ergo & intellectus Angeli.

XXVIII. Respondeo ad singula. Ad primum, nego min. In Deo enim datur *Eubulia*, seu consilium absque inquisitione, & discursu. Eubulia ergo tunc solum per inquisitionem procedit, quando est in subjecto, quod non statim pervenit ad certitudinem judicii. Cum ergo in Angelis sicut in Deo, statim adsit certitudo judicii, ideo in eis est *Eubulia*, & consilium secundum actum ei essentialem, qui est judicium certum de agendis. Vide D. Th. 1. *par. qu. 22. art. 1. ad 1.* & *qu. 59. art. 3. ad 1.* dicentem. *In Angelis est electio, non tamen cum inquisitiva deliberatione consilii, sed per subitam acceptionem veritatis.*

XXIX. Ad secundum dico, quod admiratio in Angelis solum indicat, aliquid posse ei accidere, cujus causam ignoret; non tamen, quod per discursum ad eam quærendam procedant, sed quod expectent a Deo illuminari: unde Div. Thom. Qu. 8. de Verit. art. 15. ad 2. *Angelis* (inquit) *non est ignotum aliquid eorum, ad quæ possunt per naturalem cognitionem pervenire; sed aliqua ignorant, quæ naturalem cognitionem excedunt: & in horum cognitionem ex seipsis venire non possunt conferendo, sed solum ex revelatione divina.*

XXX. Ad tertium, nego min. alias in Deo proprie scientia non esset: *Scientia ergo, quæ in nobis invenitur, habet aliquid perfectionis, & aliquid imperfectionis. Ad perfectionem ejus pertinet certitudo ipsius, quia quod scitur, certitudinaliter cognoscitur. Sed ad imperfectionem pertinet discursus intellectus, a principiis ad conclusiones, quarum est scientia. Hic enim discursus non contingit, nisi secundum quod intellectus cognoscens principia, cognoscit in potentia tantum conclusiones. Si enim actu cognosceret, non esset ibi discursus, cum motus non sit, nisi exitus de potentia ad actum.* Ita Div. Thom. *Qu. 2. de Verit. art. 1. ad 4.* Cum ergo Angeli in principiis actu videant conclusiones, in eis est scientia sine discursu. Non tamen ex hoc sequitur, ut putant Scotistæ, Angelum posse cognoscere infinita actu sed solum in potentia, non quasi addiscens ex principiis, sed ut actu non considerans in eis omnia, quæ in eis considerari possent.

HXXI. Ad quartum, respondet S. Thom. hac qu. 58. art. 13. ad 2. *Quod Angeli syllogizare possunt, tamquam syllogismum cognoscentes, & in causis effectus vident, & in effectibus causas: non tamen ita quod cognitionem veritatis ignotæ acquirant syllogando ex causis in causata, & ex causatis in causas.*

XXXII. Arguens quarto. Etsi Angeli discurrerent, adhuc staret discrimen essentiale inter eos, & animam rationalem in ratione intellectivi sicut etsi omnes Angeli non discurrant, adhuc stat differentia specifica inter illos, secundum nos, in ratione intellectivi.

XXXIII. Hæc instantia, quam proponit Frassen, nascitur ex non intelligentia rationis D. Thomæ. Non enim D. Thomas denegat Angelis discursum, ex eo præcise, quia essentialiter specie differant ab anima rationali; sed quia ab ea differunt, sicut natura posita in gradu superiori intellectualitatis, eo modo, quo corpora cælestia differunt, & excedunt hæc corpora sublunaria, & inferiora. Ex quo infert; quod sicut corpora Cælestia non per motum, & successive suam naturalem perfectionem acquirunt, sed eam statim a sua conditione perfecte habuerunt: ita Angeli, qui inter naturas intellectuales excedunt in gradu intellectuali homines, non per motum, & discursum acquirunt suam intellectualem perfectionem, sicut homines: sed statim in principio naturaliter cognito, omnia quæ in eo cognosci possunt, in eo intelligant. Si vero Angeli, sicut homines discurrerent, quidquid sit, an subsisteret inter Angelos, & homines distinctio specifica eo modo, quo hæc subsistit inter omnes Angelos, quamvis omnes intelligant sine discursu, non subsisteret tamen diversitas in gradu intellectualitatis; sed Angelus & homo essent in eodem gradu, sicut omnes Angeli invicem. Quare in forma, dist. ant. distinctio essentialis specifica transeat ant. essentialis in gradu intellectualis, nego ant.

§. IV.

An Angelus intelligat componendo, vel dividendo?

XXXIV. Dico. Angelus non componendo, aut dividendo, sed simplici apprehensione intelligit. Ita Div. Thom. cit. *qu. 58. art. 4.* cujus hæc est ratio. Angelus non intelligit ratiocinando, aut discurrendo, ut dictum est; ergo nec componendo, aut dividendo. Cons. prob. Ideo Angelus non intelligit discurrendo quia in principio naturaliter cognito statim cognoscit omnia, quæ in eo continentur, & omnium conclusionum, quæ ex eo deduci possunt, veritatem: sed etiam cognito subjecto cognoscit in eo quidquid ei potest attribui, vel ab eo removeri; ergo &c. *sicut ergo si intellectus noster statim in ipso principio* (verba sunt S. Thomæ, ibi) *videret conclusionis veritatem, nunquam intelligeret discurrendo vel ratiocinando; similiter si intellectus statim in apprehensione quidditatis subjecti, haberet notitiam de omnibus, quæ possunt attribui subjecto vel removeri ab eo, nunquam intelligeret componendo & dividendo, sed solum apprehendendo, quod quid est. Sic igitur patet, quod ex eodem provenit, quod intellectus noster intelligit discurrendo, & componendo, & dividendo: ex hoc scilicet, quod non statim in prima apprehensione alicujus primi apprehensi potest inspicere quidquid in eo virtute continetur. Quod contingit ex debilitate luminis intellectualis in nobis. Unde cum in Angelo sit lumen intellectuale perfectum, cum sit speculum purum, & clarissimum . . . . . relinquitur, quod Angelus, sicut non intelligit ratiocinando, ita non intelligit componendo, & dividendo.* Ita Sanct. Doct.

Qui tamen addit: *nihilominus tamen compositionem, & divisionem enunciationum intelligit, sicut & ratiocinationem syllogismorum; intelligit enim composita simpliciter, & mobilia immobiliter, & materialia immaterialiter.*

XXXV. Dices primo pro Scoto contrarium opinante. Ubi est multitudo intellectorum, ibi est multitudo intellectuum; sed in intellectu Angeli est multitudo intellectorum, cum per diversas species diversa intelligat, & non omnia simul; ergo in intellectu Angeli est compositio, & divisio.

Distinguo maj. Multitudo intellectorum, quorum unum attribuitur alteri, ibi &c. co. ma. aliter, nego ma. & similiter distincta min. nego cons. responsio est D. Thom. hic ad 1. dicentis: *non qualiscumque multitudo intellectorum compositionem causat, sed multitudo illorum intellectorum, quorum unum attribuitur alteri, vel removetur ab eo. Angelus autem intelligendo quidditatem alicujus rei simul intelligit quidquid ei attribui potest, vel removeri ab ea. Unde intelligendo quidquid est, intelligit quidquid nos intelligere possumus componendo, & dividendo, per unum suum simplex intellectum.* Hinc omnis cognitio Angeli est judicativa: si enim attingat subjectum, in eo, & per speciem ejus attingit prædicatum; si attingat prædicatum, attingit in eo subjectum, etiamsi attingat illa seorsim. Si vero ea attingat, ut coadunata in propositione; si hæc sit naturalis, ut ista *Petrus est doctus*, per se primo attingit subjectum, & per speciem ejus prædicatum. Et si prædicatum sit spirituale, ut in ista *Petrus est prædestinatus*, in prædicato cognoscit subjectum, quia ab illo unice specificatur.

XXXVI. Dices secundo. Plus distat affirmatio a negatione, quam duæ quidditates oppositæ: sed aliquas naturas distantes Angelus cognoscit per diversas species, & actus; ergo similiter affirmabit, & negabit diversis actibus, ergo componendo, & dividendo.

Respondeo cum D. Thoma citato ad 2. dist. maj. Plus distat quantum ad rationem existendi, conc. maj. quantum ad rationem cognoscendi, nego maj. Igitur (inquit S. Doct.) *diversæ quidditates rerum minus differunt quantum ad rationem existendi, quam affirmatio, & negatio: tamen quantum ad rationem cognoscendi affirmatio, & negatio magis conveniunt; quia statim per hoc, quod cognoscitur veritas affirmationis, cognoscitur falsitas negationis opposita.*

XXXVII. Dices tertio. Locutio externa est signum internæ compositionis, & divisionis in mente: sed Angeli hominibus loquentes affirmativas, & negativas enunciationes exterius protulerunt; ergo &c.

Respondet Div. Thom. laudatus ad 3. Quod *hoc, quod Angeli loquuntur enunciationes affirmativas, & negativas, manifestat, quod Angeli cognoscunt compositionem, & divisionem; non autem quod*

quod cognoscant componendo, & dividendo, sed simpliciter cognoscendo quod quid est.

§. V.

In intellectu Angeli nequit esse per se falsitas.

XXXVII. Colligo primo ex dictis, in intellectu angelico non posse per se loquendo reperiri falsitatem, sed solum per accidens. Prima pars probatur. Nam Angelus ex dictis non intelligit componendo, aut dividendo, sed simpliciter apprehendendo quidditatem rei: *Intellectus autem circa quod quid est semper verus est, sicut & sensus circa proprium objectum*, ut ait D. Th. hac q. 58. *art. 5.*

XXXVIII. Secunda vero pars (quæ de malis Angelis procedit) intelligenda est respectu rerum supernaturalium, vel naturalium, ut tamen subsunt ordinationi divinæ. Cum enim Angeli tam boni, quam mali videant, quando volunt, omnium rerum naturalium naturas, & proprietates, ac etiam ea quæ naturaliter, seu necessario ex illis eveniunt; respectu rerum naturalium non falluntur, nec decipiuntur. Sed quia non vident quid Deus supra, aut præter cursum naturalem in iis, vel de iis facere velit: ideo mali decipi possunt quantum ad ea, quæ supernaturaliter possunt evenire: sicut si considerantes hominem cæcum, vel mortuum, judicent, eum non esse aliquando visurum, aut resurrecturum; vel cum videntes hominem Christum judicabant, eum non esse Deum.

Boni vero Angeli, ne quidem quoad supernaturalia falluntur. Ratio diversitatis est: quia boni Angeli per omnia se divinæ sapientiæ submittunt; ideoque de rebus supernaturalibus, quandiu non habent certas revelationes, non judicant ita esse, vel non esse absolute; sed ex signis probabilibus tantum judicant hoc esse probabile, & posse ita evenire. Similiterque de rebus naturalibus, secundum quod subsunt divinæ ordinationi (per quam circa illas varia mutatio potest accidere) non proferunt absolutum judicium. Unde fit, quod licet in naturalibus causis videant pestem, aut siccitatem, non tamen absolute judicent, eam eventuram; quia sciunt, vel Sanctorum orationibus, vel etiam sine illis posse, Deo sic disponente, aliter fieri. At Dæmones, quoniam ex pravitate suæ voluntatis a divina sapientia recedunt, eamque nolunt attendere, sæpe secundum conjecturas, aut argumenta probabilia, vel cursum rerum naturalium absolute judicare volentes, falluntur. *Angeli igitur boni* (inquit S. Thom. art. 5. laudato) *habentes rectam voluntatem, per cognitionem quidditatis rei, non judicant de his, quæ supernaturaliter ad rem pertinent, nisi salva ordinatione divina. Unde in eis non potest esse falsitas, aut error. Dæmones vero per voluntatem perversam subducentes intellectum a divina sapientia, absolute interdum de rebus judicant secundum naturalem conditionem. Et de his quæ naturaliter ad rem pertinent, non decipiuntur. Sed decipi possunt quantum ad ea, quæ supernaturalia sunt: sicut si considerans hominem mortuum, judicet, eum non resurrecturum; & si videns hominem Christum, judicet, eum non esse Deum.*

XXXIX. Aliter tamen, docet ibi S. Doctor, contingere potest deceptio in Dæmonibus, quam contingit in nobis. In nobis enim ea falsitas contingit, in quantum componendo, dividendo, aut etiam demonstrando, falso componimus, dividimus, aut demonstramus; definitionem unius attribuendo alteri, aut partes definitionis incohærenter copulando, aut de quopiam negando id, quod vere ei competit. In Dæmonibus autem oritur ex eo, quod absque compositione, vel divisione proprie dicta apprehendunt in quidditate connexionem cum quibusdam aliis rebus, judicantes eam esse talium rerum principium, quarum tamen (Deo sic disponente) non erunt; vel e contra apprehendunt rei quidditatem non esse connexam cum aliquo eventu, cum quo tamen divina ordinatione connectitur.

§. VI.

De cognitione Matutina, & Vespertina.

XL. Colligo secundo, cognitionem angelicam bene dividi in Matutinam, & Vespertinam. Ita S. Thomas hac 1. *p. q. 58. a. 6.* & *Q. 8. de Verit. a. 16. 17.* & alibi. Primus, qui cognitionem Angelicam ita distinxit, fuit S. Augustinus. Ut enim suam exponeret opinionem (de qua superius egimus) nempe sex dies, quibus mundus creatus est, non fuisse dies naturales importantes successionem temporis, sed dies intelligibiles dicentes ordinem, quo res creatæ Angelicæ cognitioni fuerunt præsentatæ; & ut hisce diebus mane, vesper possit intelligi, per *Mane* cognitionem Angelicam, qua res quæ cognitæ fuerunt in Verbo intellexit, & hanc vocavit Matutinam; per *Vesperam* vero angelicam cognitionem, qua res in propriis naturis cognitæ fuerint, intellexit; & Vespertinam nuncupavit. Tum quia posteriorem, cum supponat ab Angelis res fuisse prius cognitas in Verbo, quam in propriis naturis. Tum quia minus clara, sicut minus clara est lux vespertina, quam matutina: clariori enim luce res ab Angelis fuerunt cognitæ, dum eas noverunt in Verbo, quam dum eas per species sibi congenitas in propriis naturis cognoverunt, ut docet idem S. Aug. *l. 11. de Civit. Dei c. 7. & 29.*

XLI. Horum vesperam, & mane ordinemhoc modo explicat l. 3. de Genes. ad litt. c. 22. Angelus statim creatus cognovit se non esse Deum, & hæc fuit vespera primæ diei. Deinde retulit seipsum ad laudem Creatoris, quo donatus fuit cognitione rerum in Verbo; & hæc fuit mane, quo clausus fuit primus dies, & inchoatus secundus. Deinde res in suis naturis cognovit, & sic facta est vespera secundi diei, & similiter de dierum subsequentium vespere, & mane. Audiatur propterea S. Doct. citato loco. *Si* (inquit) *lux illa, qua primitus creata est, non corporalis, sed spiritualis est, sicut post tenebras facta est, ubi intelligitur a sua quadam informitate ad Creatorem conversa, atque formata; ita & post vesperam fiat mane, cum post cognitionem sua propria natura, qua non est quod Deus, refert se ad laudandam lucem, quod ipse Deus est, cujus contemplatione formatur. Et quia cætera creatura qui infra ipsam sunt, sine cognitione ejus non sunt; propterea nimirum idem dies ubique repetitur, ut ejus repetitionem fiant tot dies, quoties distinguuntur rerum genera creaturarum, perfectione senarii numeri terminanda: ut vespera primi diei sit etiam sui cognitio, non se esse quod Deus est; mane autem post hanc vesperam, quo concluditur dies unus, & inchoatur secundus, conversio sit ejus, qua id, quod creata est, ad laudem referat Creatoris, & percipiat de Verbo Dei cognitionem creatura, qua post ipsam fit, hoc est Firmamenti, quod ejus cognitione sit prius, cum dicitur: & sic est factum; deinde in natura ipsius Firmamenti, quod conditur, cum addetur etiam postea, jam dictæ: & sic est factum, & fecit Deus Firmamentum. Deinde fit vespera illius lucis, cum ipsum Firmamentum, non in Verbo Dei, sicut ante, sed in ipsa ejus natura cognoscit: qua cognitio, quoniam minor est, recte vespera nomine significatur. Postquam fit mane, quo concluditur secundus dies, & incipit tertius &c.* Ita suam opinionem exponit S. Augustinus, quam expositionem sequitur S. Th. *Q. 7. de Verit. a. 16. ad 6.* & *8.* Verum etiam non admissa S. Augustini opinione de diebus intelligibilibus in conditione mundi, adhuc in Angelis locum habere potest cognitio matutina, qua res in Verbo cognoscunt, & vespertina, qua easdem in seipsis per species innatas percipiunt. Cum illa, utpote clarior, comparetur mane, ista, utpote minus clara, comparari possit vesperæ. Non datur tamen in Angelis cognitio meridiana, quia cum omnis cognitio creata habeat renebras admixtas ex parte cognoscentis, *nulla cognitio intellectus angelici potest dici meridiana, sed sola cognitio qua Deus cognoscit omnia in seipso.* Ita D. Th. *Q. 8. de Verit. a. 17. ad 4.*

XLII. Ex hactenus dictis eruitur, cognitionem matutinam locum habuisse tantum in Angelis bonis, ut eis fcilicet, qui seipsos ad Deum referentes, beatitudine donati, res in Verbo viderunt; non vero in Angelis malis, qui post cognitionem sui, in seipsis, quasi seipsis fruentes, in se finem ponentes, permanserunt, & in noctem a vespera transierunt, nunquam ad mane perventuri. Si tamen cognitionis matutinæ nomine quis vocaret eam cognitionem naturalem, qua naturaliter cognoverunt Verbum per ejus similitudinem in sua natura, ut in speculo relucentem, de qua D. Th. 1. *p. q. 62. a. 1. ad 3.* Sc matutina cognitio omnibus Angelis posset attribui.

XLIII. Superest quærendum, an cognitio matutina, & vespertina duæ cognitiones sint essentialiter distinctæ, an vero una, eademque cognitio cum diverso respectu?

Respondeo magis cohærenter ad mentem D. Augustini, ut observat S. Thom. hac *q. 58. a. 7. de Verit. a. 16.* esse essentialiter diversitas. Nam cognitio matutina proprie dicta attingit res in Verbo, ut in medio eas cognoscendi: vespertina vero easdem attingit, ut in suis naturis, & extra Verbum per species innatas: sed cognitiones, quæ procedunt per diversa media, essentialiter distinguuntur; ergo &c. Quare D. Th. *q. 58. a. 7.* citato. *Si vero* (inquit) *cognitio vespertina dicatur, secundum quod Angeli cognoscunt esse verum, quod habent in propria natura per formas innatas, sic alia est cognitio vespertina, & matutina. Et ita videtur intelligere Augustinus, cum unam ponat imperfectam respectu alterius.*

XLIV. Nec tamen quod cognitio vespertina sit imperfecta impedit, quin possit simul esse in eodem subjecto cum matutina.

Nam, ut respondet D. Th. a. 7. citato ad 3. *Veniente perfecto evacuatur imperfectum, quo scilicet ei opponitur sicut fides, quæ est eorum, quæ non videntur, evacuatur, visione veniente. Sed imperfectio vespertinæ cognitionis non opponitur perfectioni matutinæ. Quod enim cognoscatur aliquid in seipso, non est oppositum ei, quod cognoscatur in sua causa. Nec iterum, quod aliquid cognoscatur per duo media, quorum unum est perfectius, & aliud imperfectius aliquid repugnans habet. Sicut ad eamdem conclusionem habere possumus medium demonstrativum, & dialecticum. Et similiter eadem res potest scribi ab Angelo per Verbum increatum, & per speciem creatam.*

XLV. Nec demum quis putet, quod si Angelus ab initio cognovit res per Verbum, ab initio fuerit beatus.

Etenim, docet D. Th. *Q. 8. de Verit. a. 16. ad. 8.* & superius ex August. tetigimus: *Angelus in principio sua creationis non fuit beatus, nec per essentiam Verbum vidit; unde nec cognitionem matutinam habuit, sed primo habuit vespertinam, & vespertina profecit in matutinam. Unde signanter primus dies mane non dicitur habuisse, sed primo vespere, quod vespera transivit in mane; quia lux illa spiritualis, qua primo die facta dicitur, scilicet substantia angelica, statim facta, seipsam cognovit, quod fuit cognitionis vespertina; & hanc cognitionem retulit ad laudem Verbi, in quo facta est ei cognitio matutina. Et propter hoc dicitur Genes. 1. factum est vespere, & mane &c.* Vel dicatur, quod cognitio matutina, quam Angelus habuit, dum adhuc esset in via, fuit in Verbo non viso in se, sed cognitio abstractive: unde fuit matutina æquivoce, ut dicetur.